



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

Nvm. 6. Victus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

N V M. 6. *Victus.*

1. Sedendo cœnant in solo super pellibus luporum & canum in medio præstantissima sedes, *Strabo, Diodorus*. At eis thoros etiam assignat *Diodorus*.

2. Ministrant eis iuniores in ætate tenerâ, & hi vasa bibentibus circumferunt, *Strabo*.

3. Multis patinarum loco sunt canistra lignea, vitilibus contexta. Bibunt autem in vasis fictilibus, aut argenteis instar ollæ.

4. Panem fermento leuiorem faciunt, *Plinius*.

5. Delectantur suillis carnibus tum recentibus, tum salitis. Item & feris quas sagittis interficiunt illitis veneno, sic enim earum carnes fieri teneriores arbitrantur, sed illicò vulnus circumcidunt, ne caro putrescat. Carnem autem hanc aut elixam, aut prunis assam, vel veru circumactam comedunt; artus integros ambabus manibus tenentes more leonum dilaniant, si quid ægriùs reuellatur, cultero præcidunt. *Athenæus*.

6. Potus ditioribus vinum Italicum, ei paululum aquæ infundunt, idque *Dercoma* nominant. Item ex hordeo zythum conficiunt: Itemque multiplices potus effinxerunt ad vini formam, *Ammianus*. Sorbillant autem paulatim pitissantes.

N V M. 7. *Funera.*

1. Magnifica sunt; omnia quæ grata fuerunt demortuo cum eo comburuntur, imò & animalia, ferui, clientes; *Cæsar*.

2. Defodiunt & cum ipsis apta viuentibus; *Mela*.

3. Immittunt epistolas in amicorum pyram, & aliquando se in eam præcipitant; *Diodorus*.

4. Reseruabant exactionem crediti, & mutui ad inferos; *Valerius Max.*

5. In Busto virorum fortium pernoctabant, & inde oracula capiebant, *Tertullianus*.

§. 5. *Merces Gallia.*

1. LINVM ad vela conferenda, *Strabo & Plinius*.

2. Pernæ exquisitissimæ *Athenæo & Varro*; hîc enim altitudine sues præcellunt. Item afferbantur Romam, *Varro* teste, cum